qua diu noctuq; peragit, qua Plinius hiſce verbis
teſtatur cum eius naturam deſcriberet; nec ulli
præter hominem memoria maior est. nutus tacitur-
nos obſeruat, herile præceptum tanquam Sybillinum
os Phœbi præſtolatur oraculum, ad iter ſe dominus
accingit, paratus expectat: moras nectit, præſtolatur:
ſedet, ad pedes ſe proſternit: anhelo conficitur
æstu, linguam æstuantem et ferueſcentem demonstrat.
triſtitia quapiam premitur, vicem eius manifeſtis
ſignis dolet: morbo decumbit, doloris indicia
promit et morbum in ſe auertit. Quid de eius
memorabili cerebri capacitate loquar? ſi ſub
magiſtri cuiuſdam pollice ducitur, tentat
omnia, harmoniacæ audiens muſices cantilenam,
ſuauem Amphionis teſtudinem, canoras Orphei
lyram aut cuiuſdam Mercurii ſeu Apollinis
clangorem, organi fiſtularumque concentus,
compoſitos gaudii motus dat, membra mouet omnia,
exultat ſimulq; adlatrat et ipſe cantaturus

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. f.%20229r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/en/zbz/D0147/f.%20229r)